



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XIX. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Siciliensem. Quod Romano
patrimonium ecclesiae commendasset.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA XIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SICILIENSEM.

Quod Romano patrimonium ecclesiæ commendasset.

Gregorius Petro Siciliensi.

SCIENTES deuotionis affectum paternis commenda-
tionibus ampliari, necesse est vt ea quæ agere vos
sponte confidimus, gloriæ vestræ in his fauorem nostris
augere epistolis festinemus. Indicamus itaque Romano
defensori latori præsentium, patrimonium ecclesiæ nostræ,
quod in Syracusanis, Catanensibus & vicinis locis nosci-
tur esse constitutum, Dei protegente gratia credidisse. Et
propterea salutantes paterno affectu petimus, vt vestra
eum fouere prouidentia debeatis, atque ei in omnibus ve-
strum, sicut de vobis confidimus, auxilium commodetis;
vt dum in gloriæ vestræ solatio, vel fauore subsidium con-
solationis habuerit, & vos qualem circa nos caritatem ge-
reritis manifestius ostendatis, & nos voluntati vestræ re-
spondere, dum necesse fuerit, per omnia festinemus.

EPISTOLA XX.

GREGORII PAPÆ I.

AD LIBERTINVM EXPRÆFECTVM.

De patrimonio in Sicilia Romano commendato.

Gregorius Libertino expræfecto.

GLORIÆ vestræ & experta & cognita nos deuotio
prouocat epistolari vos alloquio causis ecclesiasticis
exhibere adiutores. Et ideo quia Romano defensori præ-
sentium portitori curam patrimonii ecclesiæ nostræ, quod
in Syracusano atque Catanensi territorio situm est, Deo
auctore commisimus, salutantes gloriam vestram peti-
mus, vt concurrere illi, ac ferre solatium in omnibus de-
beatis. Et ne forsitan de nouitate minus aliqua quæ sunt vti-
lia comprehendat, vestris eum subtiliter consiliis informa-
te, atque ad agenda hæc vestram illi, sicut consueuistis,
operam adhibete; quatenus dum vobis opitulantibus vti-
liter quæ ei iniuncta sunt peregerit, & vos de bono vestro